This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

858
F247c

Digitized by Google

FROM THE LIBRARY OF
LOUIS THOMPSON ROWE
OF XV HAMMERSMITH
TERRACE, W.



Digitized by Google

H.
203

Digitized by Google

858
F247c

Digitized by Google

Digitized by Google

Farsetti, Tommaso Giuseppe

JOSEPHI FARSETTI

VENETI PATRICII

CARMINA

ET

JO. BAPT. CARMINATI P.V.

PROTEUS

PARISIIS

M. DCC. LV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Latin
Grant
5-3-29
19374

PHILIPPO FARSETTIO

CONSANGUINEO MEO

S. P.

CUM superioribus diebus has nugas publici juris facere statuissem, id statim consilii cœpi, ut tibi, PHILIPPE ORNATISSIME, inscriberem; non veluti Catoni cuidam aut Aristarcho, qui mihi succenseat ob earum tenuitatem, sed ut æquo rerum æstimatori, qui de humanioribus litteris optimè judicet. Etenim ea est vitæ meæ ratio, ut semper non mediocrem voluptatem percipiam ex studiis antiquitatis, & latinorum scriptorum lectione. Quod quidem & te facere sæpissimè, qui te norunt, intelligent. Neque id tantum, verum & graviora, & quæ nominis tui memoriam non ingloriam relinquant. Nam (dicam tamen) eò te provexit liberalium Artium juvandarum ardor, & cupiditas, ut clarorum virorum simulacra, & monumenta selectiora vetustatis quotquot Romæ extant cæteriſque Italiæ in Ur-

Digitized by Google

bibus perquiras, & formis fusis tecum habere voluisse compertum sit. Cujus rei & perdifficilis sanè fuit consecutio, solique anteà Ludovico XIV. Principi potentissimo concessa, & sumptus veluti regios exigere visa est. At tu unum auctoritate & gratiâ, alterum fortunis undè polles maximis, perfecisti; reque ad umbilicum adductâ Thesauri istius tanti Venetiis copiam fecisti, & in ædibus tuis locasti, ut Pictorum & Sculptorum, quibus Patria nostra florentissima est, oculos ad se quotidie excitet. Quâ in re, nescio an tua ipsius delectatio jucundior tibi futura sit, quàm aliorum utilitas & commodum. Quis enim meherculè est in Republica nostra tàm ignarus eorum quæ in vita geruntur, ut ex hoc maximo beneficio, quod Patria acceptum tibi referet, multa alia beneficia quasi ex fonte neget proficisci? Quis non artifices in spem evehat, qui domi sine ullo periculo, aut labore, nullis impensis, habent exempla tanquàm in Theatro exquisitiora & archetypa, ut quidquid ipsi velint effingant? O Civem egregium, deque Republica bene merentem, qui Patriæ tuæ nobilissimæ ornamento consulis, eamque, quantùm in te est, reddis splen-

Digitized by Google

didiorem & locupletiorem ! Vereor, ne si plura de te loquar, mihi ipsi nimis blandiri videar, cùm ex eodem sanguine profectus sim, atque tu. Quapropter, te valdè obsecro, ut pauculos meos versus, qualescumque sint, æqui bonique accipias, atque legas. Nam Jo. Bap. Carminati Poetæ cultissimi Carmen adjunxi, ut meas ineptias illius elegantiâ pensarem. Illud enim prodiit operâ nostrâ primùm Venetiis, sed Librariorum inscitiâ mendis ita inquinatum, ut vel non impressum censeri possit. Vale, & quod facis, me ama, teque à me amari maximique fieri existima.

Parisiis, pridie Idus Septembris M. DCC. LV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Jani Philophili Sympoſiani

Mole perexiguum Lector, ne ſperne Libellum:
In tenui ingenium promitur artificis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ZENE tuos ausus fortunent astra, tibique
Vivere nestoreos dent annos, optima quando
Et studia in te uno veluti inclinata recumbunt;
Et mores sine labe tui & discrimina vitæ
Insignem mihi te reddunt pietasque pudorque.
Non ego si optarim tantas æquare canendo
Virtutes possim & laudes super astra referre.
Idcircò Ausoniæ modo non es cognitus omni,
Sed Ligeris, Rhænusque celer, Rhodanique fluenta
Quanti te faciant munitum Pallados arte
Et Sophiæ lucos & florida rura colentem
Nullus adhuc nescit, nec postera nesciet ætas
Quid tibi constituat mercedis denique Cæsar
Ob clara ingenii monumenta obitosque labores,
Ille idem qui tot populos ditione coercet
Cæsar, & imperii vasto molimine anhælat.
Qua tum tempestate comas Peneide lauru
Cingit & Aonio totum te proluit amne
Cynthius heroum qui maxima pangere facta
Mox docet, & tragico suras vincire cothurno.
Salve igitur, salve ter & amplius, inclyte ZENE;
Itala nam pubes una & Germana juventus
Certatim plaudit; stellantesque ætheris ignes
Docta volant suprà queis nitere carmina primùm
Dejectam Scænæ faciem ad meliora vocare,
Et decus exanimi lacemque inferre Theatro.
Sed tecum hæc reputans peritura & fluxa, velut quem
Nec vis thesauri, nec opum malesuada cupido
Exercet, fastusque insano turbine volvit:

Digitized by Google

Sponte tua Pario ſubnixum marmore tectum
Deſeris, & clamides, gemmataque Sceptra potentum.
Auguſtus colitur tibi lar, ſed cultus, & adſtat
Librorum hinc atque hinc longo quæſita labore
Copia, nec deſunt circum undique & undique ſignâ
Induſtri cælata manu, effigieſque priorum.
Heic dulce extremæ fines agitare ſenectæ,
Et pia magnorum venerari numina Divum,
Quod facis, & ſemper veterum impalleſcere chartis.
Affari heic dulce eſt ſocios, heic ſcindere nodos
Difficiles, certa & proferre oracula voce.
O te felicem ante alios, vereque beatum!
Soſpite quo bona ſimplicitas, & candor, & illa
Illa vetus nondum terras ſapientia liquit.

Ergo ſagittiferæ choreis modo juncta Dianæ
Nunquam ego te inveniam latitantem ac teſqua colentem
O vita, mea lux, mihi carior! Ecce Polyſtor
Ille tuus per iter ſalebroſum & ſaxa volutus
Diſtineor curis, vacuum & lamenta per æthra
Diffundens, repleo vanis ululatibus agros.
Ah! quid mentis ineſt? tibi ne promiſſa repente
Effluxiſſe putem ex animo, ardoremque fidelem?
Sæva Deos, Hyale, ne deſpice. Jupiter odit
Fœdifragos. Æqua & pro crimine pœna luenda eſt.
Eia agedum huc ades è latebris, ſaltuque fragoſo.
Mille ſubj nudis incommoda cautibus errans
Si neſcis, multumque viæ, multumque laboris,
Ut tete adloquerer præſens, & lumina cara
Jamdudum exultans ſaturarem mœſta figura.

Digitized by Google

Hoſpita quin imò attuleram quæ parturit arbos
Poma tibi decerpta, roſaſque, crocumque rubentem.
Sed tu nil curas Hyale mea munera. Flexti
Forte alio mentem ſtudio deprehenſa recenti,
Nec potis eſſe mei memor amplius, improba, torres
Quidquid pulchrorum eſt hominum & genus omne animantum.
Quid faciam ſcabris in montibus actus inani
Spe miſer, atque ferens fortunæ ſigna ſiniſtræ?
Bruma riget quacumque, algens flat cominùs aura.
Omnia ſunt deſerta, comæque abjecit honorem
Silva, nec eſt pecoris, nivei nec copia lactis
Unde cibus mihimet, vitalis & eſca paretur.
O Hyale! quis te Deus oculit? ac ſibi portat
Gaudia quæ vitam fugientem nuper alebant?
Quæ loca te retinent, quæ te arva, aut luſtra ferarum?
Inteream citò quandoquidem mihi luce cupita
Poſſe frui vetat impia ſors. Tu juſta negabis
Solvere, & ante meum lacrymas fudiſſe ſepulcrum.
Talia Acon cecinit tenui projectus in umbrâ.
Sed pietate cavi colles gemitumque dedere
Armenta atque greges & amantia numina ſylvas.

Qui doctas avidè Scriptorum evolvere chartas
Egregio incumbens operi, mentemque fatigans
Aſſueſti, ætherio laudes æquabit olympo
Fama tuas, quam ſera dehinc mirabitur ætas.
Macte animo, vir magne. Favet Tritonia Pallas,
Et tua ſe virtus nitidis interſerit aſtris.
Quippe olim tenero (vox & mihi perculit aures)

Digitized by Google

Te puerum fovere ſinu Libethrides, & qui
Dulce canens, citharâ inſignis juga celſa pererrat
Parnaſi gnatus Lathonæ carminis auctor.
Tempore quo frontem Daphnæo evinctus honore
Plaudentes inter choreas, atque agmina vatum
Expertes ſenſu rupes, & robora duxti,
Eloquio, & claræ præſtanti munere linguæ.
Quin veluti quondàm Rhodopejo contigit Orpheo,
Immanis patulo concentus ore Leæna
Hauſit & antiquos viſa eſt poſuiſſe furores.
Quid mirum? primâ florens ætate refulxti
Omnigenæ cumulo virtutis, & oppida norunt
Millena ingeniumque ſagax, animumque peroſum
Otia lenta, inhias quo ſæpè ingentibus auſis.
Muſa (tibi uberior ſic ſemper Pegaſis unda
Diffluat, & longum Pindi nemora alta vireſcant)
Dic age, quanta viro jam jam creſcentibus annis
Obtigerit ſummo delapſa ſcientia ab axe.
Scilicet hunc Dea ſupremi Jovis orta cerebro
Aſtrorum ſedes nitentem, & mœnia late
Scandere cœlicolum ſolerti indagine mentis
Suſpicit & proprium jubet in penetrale locari.
Ex illo ſi quid conſcriptum expromere curat
Vir navus calamo indulgens ſtudiiſque Minervæ
Emicat id totum divinâ luce refertum;
Excultique hominum cœtus, populique remoti
Mirantur nexus rerum, fandique leporem,
Nec quemquam hoc melius revera poſſe fatentur
Judicii dubias res æqua expendere lance.
Quid memorem quotiens ventoſi murmura ponti
Spreverit impellens agitata per æquora puppim?

Digitized by Google

Cui neque terrori ſunt Syrtes, monſtraque fædo
Vultu educta vadis, tempeſtateſque ſonantes.
Anne levis merces, aut contemnenda voluptas
Laudibus efferri paſſim nomenque adipiſci
Quod ſupereſſe queat poſt Iethum, atque ultima fata?
Credo ego (quandoquidem felix qui poſſit haberi
Perraro eſt aliquis, mortales dum induit artus)
Olli, cui fortuna favens hæc adferat ultro,
Nil deeſſe ut magnis ſeſe mortalibus æquet.
Ac ne propoſito deflectam: qua datur, ecce,
Te pergam & tua facta ſequi. Nam, te auſpice, teque
Vindice, trans Tanaim, tepidique ultra oſtia Nili
Vana ſuperſtitio, maleſanus & ocyus error
In turpe exilium ſeſe conjecit, abitque.
Vix etenim fera bella paras formidinis expers,
Cum dicto citiùs potuiſti evertere turmas
Objectas, penitusque hoſtem delere nefandum.
Hinc ſagæ infames, lamiæque, umbræque ſilentes
Senſere implicitæ nodoſis colla cathenis
Servitium tandem impoſitum, dum cæca ſubire
Tartara, & infernis properant latitare lacunis.
Nempe tuas leges, tua jura capeſſere fas eſt,
Jura quibus nuper terrarum applauſerat orbis.
O Lux, ô vere noſtris decus addite ſæclis!
Falciferi effœto ſenis aurea tempora mundo
Nunc redeunt per te; redeunt moreſque pudici
Et probitas certatim & amor ſanctiſſimus æqui,
Et pia relligio vires inſtaurat, & auget
Munere læta tuo. Sed quid tu mole fatiſcens
Sub tanta immenſas exerces pectore curas?
Jam mora te decet & luſus & blanda voluptas

Digitized by Google

Otiaque intactis ſemper jucunda Camœnis.
Contrahe nunc lora, & redimitus fronde virenti
Deſueta meditare novum teſtudine carmen.

Te Patriæ lumen, Veneti laus ampla Senatus
Conſpicua virtute ſenem, tituliſque nitentem
Pacta dies trabea, rutiloque inſignit amictu.
Gaude, age, cærulei rident vaga marmora Ponti
Delphinumque cohors, phocæque in littore ludunt
E ſummoque trahit candentes æquore vultus
Nereis & Zephiri halantes & molliùs auræ
Labuntur cœlo ſuſtratæ lenibus alis.
Aſpice, quippe viam frondenti ſternit acantho
Fœmina virque tibi ſubtexens dædala ſerta.
Compita jam reſonant, reſonant concentibus ædes;
Cuique palam Aonio mens eſt feciſſe labore
Quam merito venias croceo ſpectandus in oſtro.
Fortunate! diu longæ poſtrema ſenectæ
Soſpes agas, abeantque tuo mala fata cubili.
Sed quis me furor exagitat? Num pocula Dirces
Haurio fatidicis immixtus Phocidos antris?
Nam proavum video manes, animaſque tuorum
Devotos ſuadæ manes, & Apollinis arti
Lætius Eliſio in nemore, & per opaca ſilentum
Regna erraſſe novos dictantes barbite verſus:
Scilicet ut patriis concluſus mœnibus urbi
Profueris, volvens animo præſtantia facta.
Ut ſenior populos, concreditaque oppida largis
Muneribus cumulata idem tu rexeris æqua
Lance, vetus cum te ſub Principe floruit ætas

Digitized by Google

Et niveus mos, & candor, rectique cupido.
Hæc inter dulces ſuavi cum conjuge natos
Commemorant, certa & fatorum oracula pangunt.
Queis capite annuerunt inflexo ſtamina Parcæ
Unanimes parce fatalia ſtamina nentes,
Et fortuna ſuos orbes jam ſiſtere viſa eſt.
Sed quid ego, Ermolae, enixe nunc ſingula de te
Poſſe referre putem? ingenii quando mihi nulla
Aut levis eſt data vis, & laudum meta tuarum
Pierios ſuperat latices, Phœbique favorem.

Quum Mopſum Phyllis, quum Phillida Mopſus amaret;
Flammaque concordes ureret una animos;
Mopſo Phyllis ait: Mea lux, mea ſola voluptas
Quocum mi dulce eſt vivere, dulce mori:
Si qua eſt jam noſtri tibi cura, ah limine ab iſto
Abſcede & propius non rediturus abi.
Nam labefacta quidem donis & munere dicor
Et ſcortum tota nuper in urbe vocor.
Tunc mœrens animo fudit ſuſpiria Mopſus,
Et cara jam vix abfuit à domina.
Sed quis fœmineo ſe immunem jactet ab aſtu,
Quis vitare malas autumet inſidias?
Nam labefacta quidem nollet quum munere dici
Ad majora ſibi munera ſtravit iter.

Tune igitur Veneris ſemper me gaudia poſces
Ileu, & optati delicias thalami?
Sim amens ni te facti pœniteat cito: namque

Digitized by Google

Omnia non omni ſunt in amore rata.
Scilicet & torpent liventia membra veneno,
Et nos jamdudum Gallicus hoſtis habet.
Parce preces adhibére, leves compeſce querelas.
Ingens eſt medico non eguiſſe bonum.

Semper erit ſacer hic locus, & beneolentibus herbis
Cinctus aget veris tempora perpetui.
Et fons arguta properans qui labitur unda
Mi nunquam immemori pectore deciderit.
Dulce eſt alterutrum reminiſci, ubi candidæ Hyellæ
Hauſimus ambroſiis ſuaviolum è labiis.

Te fleat extincto Veneta Urbs, teque Itala tellus,
Orbis & amiſſo te putet eſſe nihil.

Sidereos ſua regna oculos Cithereius ales
Incolit, atque comis excubat aureolis.
Et faculas agitans, vibranſque immitia tela
Clamat: Quis mecum prælia torva gerat?
Heic opus eſt ſiquidem lacrymarum effundere rivos,
Heic opus eſt certa procubuiſſe nece.
Aſt ego qui varias formoſo in corpore doteis
Intueor, Paphii dicta nihil vereor
Numinis, & coram te totis ignibus uror,
Suntque, Hyale, vitæ fila reſecta meæ.

Di teſtes nemorum eſtote, & vaga flumina Anaxi,

Digitized by Google

Et Pan ſemicaper & Satyri & Dryades,
Quanta nos cura Lalagem quæſivimus inter
Sylvarum amfractus & nemora aëria,
Ad fontes, viridi Lalagem in convalle ferentem
Argutos & per devia luſtra pedes.
Ne ruri ſimulet degens iſſe omnibus obviam,
Meque notet tarda callida ſegnitie.

Hadriaco digreſſa ſinu eſt mea Leſbia, ſordet
Urbs mihi, tela gerens torpet inanis Amor.
Flent Charites, ſquallet dejecto gratia vultu.
Amiſit tenerum Cypria mæſta decus.
Et jocus & periit ſal omnis & alma voluptas,
Terrarum & quidquid pulchrius orbis habet.

Et lacrymas perſæpe & verba precantia fudi
Nequidquam iratæ Cloridos ante fores.
Durior & ſcopulis Lybicumque imitata Chelydrum
Surpuit, ah miſero ſpem mihi ſiqua fuit.
Profuerunt lacrymæ tandem, voceſque precantis;
Oppoſita & patuit janua clauſa ſera.
Quod ſupereſt meme excruciat mage, dilaceratque:
Numini etenim incepto ſunt in amore duces.

Lidia pulchra, puella ſagax mi ſpondet amorem;
Illam ego nil metuens cogor amare magis.
Aſt cum perditè amem, inque dies mage cogar amare:
Dicitur illa alium deperiiſſe virum.

Digitized by Google

Quid faciam veri deceptus imagine amoris ?
Neſcio ſed noſtro in pectore adhuc amor eſt.

Ille mihi vel numinibus par eſſe videtur
Qui potuit ruri degere quum libuit.
Et tumidas parvi Regum aulas fecit, & inſons
Maluit exiguo jugera arare bove.
Sed quem divexant urbana negotia, Iane,
Et mala veſanis ambitio ſtimulis;
Ille mihi invidia longe infelicior ipſa,
Et mihi cœnoſo vilior ille luto eſt.
Quid faſces, titulique juvant ? ſi venditur auro
Sæpe honor & meritos præmia nulla manent.

Irriguos Hyale graditur formoſa per hortos,
Cui laſciva levem ventilat aura comam.
Hæc dum Virgineo flores mihi pollice carpit
Et matutinas luce cadente roſas,
Haud verita eſt nobis faciem præbere decoram,
Mixtaque blandiſonis reddere verba notis.
Queis ſenſi in liquidum totum me abſumier ignem
Jampridem, & mihi ſunt maxima nata mala;
Sed tantum hoc lætor quod & ipſos arte moveret
Non intellecta lumen utrumque Deos.

Quod mihi deficiat locupleti nummus in arca
Fulvaque Erythræo concha revulſa vado,
Frater amabilior vitâ, atque ambobus ocellis

Digitized by Google

Me miſerum noli hinc eſſe putare magis.
Noctu etenim fontes compilant ſcrinnia fures,
Atque ſolent partæ non ſemel abripi opes.
Quem verum ocnæo munivit Delius æſtro
Cuique dedit ſacræ plectere fila lyræ:
Dicitur ille ſuperſtes vivere, dicitur ille &
Acceptas nunquam amittere divitas.

Pulchra illa, & qua non certe eſt operoſior uſquam
Quum vellet pactas ducere Ligda moras:
Lina, ait, hæc levia & qualos Actæa Minerva,
Artifices & acus & tibi penſa dico.
Ut ſimul ac vires redeant, animoſque reſumam
Incipias orſis Diva favere meis.

Incertus terraſne colam mortalibus hærens
Artubus, an magnos evehar ad ſuperos,
Mira tuæ ſenſim libo modulamina vocis,
Qua mi elapſa fugit Clœlia anhela anima.
Ac veluti demiſſa polo quem fulmina terrent
Nutat, jamque animum vix potis arrigere eſt.
Haud aliter plectrumque lyræque ſonantia fila
Ipſemet, & celeres obſtupeo articulos.
Phœbe ſile, Thebana ſile qui mœnia condis.
Omnia divina Clœlia voce refert.

Ah pereat quœcumque poteſt ſe jungere amanti
Accipere atque auri millia multa poteſt.

Digitized by Google

At quæcumque avido cupiet se jungere amanti,
Gaudia sollicite fido ab amore petens:
Olli longa neant concordes fila sorores,
Absumptæque levis contegat ossa lapis.
Sunt odio mihi dites & contemptui amantes,
Et debet solo vinci amor obsequio.

Quo frater miserande ruis? Ten' fata repente
Morsque trahit campos invida ad Elisios?
Tene illic violæ cingunt, luteumve papaver,
Dum tua colluget mœstà relicta domus?
Me miserum, quando precibus nil flectitur Orcus,
Nec possum stygios voce movere Deos:
Quod superest, educta imo suspiria corde,
Hosque graves gemitus frater habe ac lacrymas.
Dent superi & multo, ut dolor hic vehementior in me
Exurgat: minuit maxima damna dolor.

Ah senibus male sit. Quæ te, Pholoe, impia mater
Vult lateri comitem semper habere suo?
Quæve domum servare jubens & limina, amantum
Exoptata diu gaudia spemque rapit?
Nil prosunt niveæque manus & eburnea colla,
Luminaque ætheriis æmula sideribus.
Si, mea lux, latitas tenebris, ac nocte sepulta
Te & premit immerito sævus uterque parens.
Ast age decipiam metuentem plurima matrem
Jam nunc. Quandoque est ingeniosus amor.
Illa Jovis certe notissima fabula res est

Digitized by Google

Quum Danaes caſtum perpluit in gremium.
Acriſiumque ſenem, turriſque fefellit ahenæ
Cuſtodes ſupera aureus arce cadens.
Haud ſecus à magno ducens exempla Tonante
Ad tua furtivis tecta ferar pedibus.
Sed tu ne timeas per noctem, vita, caveto
Dum venio, atque levem janua dat ſonitum.

Alma puellarum cuſtos Venus optima quæ das
Atque adimis formæ munera perpetuæ
Ille meæ Dominæ candor nitidiſſimus oris,
Ebrioli illi oculi, crinis & ille ſacer
Et digiti teretes, & olentes ſuaviter artus,
Evitent longi temporis inſidias.
Ut ſi forte poteſt fieri, veniente ſenecta
Lydia deformis non videatur anus.

Sparge roſas, Hymenæe, veni: ſed ſpicula ſume
Aurea, ſed rutilas ſume, Hymenæe, faces.
En te ſylvarum decor & ſolatia Damon,
Te vocat & blanda caſta Neæra prece.
Illa Neæra aureo cui non ſe Cynthia vultu
Conferat, aut roſea Cypris amata coma.
Sparge roſas, Hymenæe, jugalia vincula necte.
Eſt fauſtus nobis & ſacer iſte dies.

Miraris cur te fugiant homineſque, feræque
Solus & incedas per fora, perque vias?

Digitized by Google

At nec Phœbus abeſt Pieridumque cohors;
Salve Diis, & cuique bono domus hoſpita ſalve;
O ſalve votis ſæpe petita meis.
Quam te diſcuperem dulceſque reviſere amicos
Qui perſæpe tuo ſub lare conveniunt,
Seu plena appoſita ſpument carcheſia menſa,
Fallere ſeu modico duram hyemem igne juvat:
Gozzius interea genio obſequioſus herili,
Ille meum qui cor atque animi ima tenet,
Dulcia feſtivo deducit carmina plectro;
Auribus arrectis cætera turba ſilet.
At me hic extrema terrarum in parte locatum
Circumſtant canis nil niſi ſaxa jugis;
Horrida tempaſtas cælum contruxit & imbres,
Et late rauco ſylva Aquilone ſonat.
Pro quibus his ego nunc oculos, his occupor aures;
Frigora neu redeam & ſæva coercet hyems.
Indignata ruunt præruptis flumina ripis,
Plurima nec tutam nix ſinit ire viam.
Quid faciam? tepidi jam aura expectanda Favoni eſt;
Tunc me urbi & caris reſtituam ſociis.

FINIS.

Digitized by Google

CARMINUM

PARS ALTERA

Digitized by Google

Digitized by Google

O Rem ridiculam ſanè &, Teleſine, jocoſam,
Schommata quæ poſſit meruiſſe tuumque cachinnum!
Quippe domum externâ redeuntem nocte, meique
Moris ut eſt, thalamo ſuper impoſitum, ac meditantem
Neſcio quid me ſomnus habet. Mirabile! Flores
Extemplo varios, arbuſtaque nobilis agri
Tondentem morſu immani, ricluque profano;
Et videor ſata vaſtantem jam cernere Aſellum;
Qui accidere, ut ſolet, ignavo, bardoque Colono
Infarcit quædam ſtolidè, dicaxque ſuâpte
Naturâ ſpondet concredita ſtercora ſulcis
Semeſa & folia, & populatas arbore frondeis
Telluri adjumento iri ut ſeges aurea ſurgat.
Hæc animadvertens Leo dum illâc figere greſſum
Cæpiſſet deflens ſortem infelicis Agelli:
O! miſeris, cohibete Aſinum, cultoribus, inquit;
Omnia peſſum ibunt, ni diram avertere peſtem
Sit cura, auxiliumque inſtanti ferre ruinæ.
Tunc pecus Arcadium naſum corrugat, & irâ
Amenti cæcum calces jacit, atque Leoni
Imminet, & campo prope jam bellatur aperto:
Sed Leo quadrupedem hunc miſeratus ſubſtitit, & nil
Contra auſus riſum placido geminavit ab ore.
Quorſum hæc? Mane nitet. Stertentem ſervulus altè
Me excitat. Id totum tenues vaneſcit in auras.
O mens venturi præſaga! Etenim citò nobis
Adfert ingenuus valdè doctuſque ſodalis
Bucconis prælo vulgata volumina, ineptè

Digitized by Google

Rhetor ubi obtentu pietatis pessima garrit;
Decerpitque, notatque rudis vice functus Aselli:
Addit & hinc hominem eximiuni, similemque Leoni
Noxia dicta retorquere, & mendacia nulli
Non fecisse palàm & scholium posuisse libellis.
Nec satis est, sequitur, narrans perplurima amicus;
Audax nimirum pernicibus ocyor Euris
Græculus ad calamos confugit, seque tuetur;
Bella ciet, hostemque premit, sed maximus hostis
Oppedit bello, jure & siluisse fatetur.
Talia mirabar tacitus discrimine nullo
Inter se pulchre veluti conjuncta coisse;
Cùm, Telesine, animo sedit sententia, veras
Interdum præ se species insomnia ferre
Nec semper pictura homines illudere inani.
Hinc alia ex aliis expendens, ut soleo, acri
Mente revolvebam, & scrutabar an esset habenda
Ætate hac nauci lamiarum forte potestas,
An cæli tractus, & inania scindere possent
Corporis humani nondum compage soluta.
Ajebam & mecum: Nonne edita dogmata, nonne
Charta diu vigilata, amplum & diffusa per orbem,
Usque hùc difficilem potis est elidere nodum?
Cerdo, lixa aliter credat. Patet ipsa modo res
Per se, Carnifici quanquàm jugulata manu, det
Immeritò pœnas, populo spectante, Renata.

An numerem ipse tuas, formosa Lutetia, laudes,
Omnigenis ditata opibus, Divûmque favore
Aucta, bonas arteis ubi non coluisse pudori est

Digitized by Google

Et Sophiæ studia, & doctæ præcepta Minervæ?
Non ego sum tanti: Tuque omni es carmine major.
Nil etenim sacris Aganippidos invidet undis
Sequana quæ dulci mediam te adlabitur amne,
Et latice ex isto quicumque rigaverit ora
Astra petent, longum sua scripta perennat in ævum.
Quid quod non dubiis munitam legibus orbis
Suspicis, undè soles terrori fontibus esse,
Undè iterùm redit ad terras Astræa Virago,
Quæ sceleri pœnas, virtuti & præmia ponit.
Quid non est igitur sperandum, Urbs optima, de te,
Talibus auspiciis quæ cuncta regisve, faciſve?
Verius hæc possunt Saturnia sæcula dici,
Sæcula quæ Lodoix reddit meliora vetustis.
Ille etenim quanquàm stipatus milite multo
Et licet innumeras ditione coerceat urbes
Præferri bello tamen & studet impiger armis
Otia victrices sibi quæ peperêre phalanges.
Nec sileam cultusve tuos pompasve frequentes
Immensa aut quanto te includant mœnia gyro
Utque hùc advectus longinquis advena ab oris
Obstupeat passim tacitus plateasque viasque,
Sive tua ingressus viridaria talia juret
Alcinoi regis quondàm Hesperidumque fuisse.
O salve Europæ tellus pulcherrima ocelle,
Salve, nec tecum certet vel barbara Memphis
Vel Tempe, veteri etsi multùm claruit ævo.
Jam mihi jam moresque tui, tua jura, tuæque
Hærebunt cordi venturo in tempore gentes,
Quas mihi frons hilaris dulci sociavit amore.
Quantùm ego quod reliquum est vitæ consumere rurì

Hic vellem prata inviſens campoſque patente
Hic properante hyeme populoſæ redditus urbi
Adloquerer ſocios, & menſas inter opimas
Disjicerem annoſo curarum nubila Bacco.
At me fata aliò impellunt. Sua ſidera quenque
Volvunt, & rarò libertas ſpectat in omneis.

Fama refert te compoſitâ ſubſellia lite
Liquiſſe atque fori murmura rauciſoni,
Utpote qui legum nodoſa volumina tractans
Res has ancipiti noveris ire via
De quo ego nunc totâ grator tibi mente, tametſi
Friderice ah! vix ſim conſcius ipſe mei,
Impia quem necat ebriolis Amarillis ocellis,
Et jubet indigno colla dediſſe jugo.
O Amarylli! rigent duro tua pectora ferro,
Senſus & afflictis non tibi rebus adeſt.
Quænam Maſſylo peperit te in littore Tigris?
Quæve vorax Siculis expuit unda vadis?
Jam decus egregium formæ, nivea ora, manuſque
Laudavi, atque tibi cætera poſthabui.
Talia nec primùm ſpondebas, perfida, cùm te
Vidimus auratis enituiſſe comis.
Sed quid ab incæpto digreſſus carmine plura
Commemoro, & tecum triſtia fata queror?
Ad Muſas te redde iterùm, & placida otia nactas,
Rivule, Apollineis ora reſolve modis.
En vacat, en tandem clamoſa Palatia vitas
Qui magna Idâliæ cura vocaris heræ;
Et tua ſcripta placent Latio perfuſa lepore,

Digitized by Google

Undè magis vires ac magis auget amor.
Hinc tu seu vitreo quâ Brembus labitur amne,
Arcadio invisas rura habitata Deo,
Seu capreas jaculo figas, leporemve fugacem
Sive est abrupto colle sequendus aper,
Aut operam fandi studio navabis, & Urbi
Optabis tandem consuluisse tuæ;
Hùc ades, & mœrenti aliquod solamen amico,
Et certam in dubiis casibus affer opem.

Latratu vigili qui sæpe & dente minaci
Noctivagos fures arcuit à domibus,
Argas octavum & decimum cùm vixerit annum,
Proh facinus! rapuit lenta senecta canem.
Quid nisi flendum est? Is truculento includitur Orco,
Nec mihi sat videor tutam habitare domum.

Qualiter halanti niveus flos editus horto
Quem mites zephiri, solque tepens aluit,
Antè aras puroCultoris carptus ab ungue
Ponitur aut sacras emicat ante fores.
Haud secùs ætherii te absorptam vortice Amoris,
Cui comes it pietas virgineusque pudor,
Libat uterque parens superis, superûmque parenti,
Sideribusque affers, ô nova nupta, decus.

Digitized by Google

Astra sine invidia superi calumque regant, me
Leucippe toto diligit ex animo.

Emorior cùm te video, mea Lesbia, cùm te
Lesbia non video non minùs emorior.
Dic mihi quid faciam, quid agam hoc male sano in amore
Namque necesse est ut te aut videam, aut fugiam.

Olim fastus eram, magnique superbia Quinci
Qui se numinibus credidit esse parem.
Nescio quo pacto tandem nunc mentula fio,
Nec piget: intumeo cùm libuit pariter.

Eia age, Lygda, veni; Celadon te perditus ardet
Ignis & in medios itque reditque sinus.
Carpe viam: dilata minùs sunt gaudia cara,
Ocyor ut venias, obvia nuda veni;
Gratiùs & fuerit nobis. Ah! parce pudori.
In tuto es, si quod numina magna, facis.
Nec secus à Paride umbrosis in vallibus Idæ
Visa fuit Paphii candida Diva soli.
Nudus & est semper qui spicula torquet acuta
Sævus & in nostro corde superbit amor.
Quis furor est Cois obducere vestibus artùs,
Membraque Bissonia candidiora nive?
Torquibus auratis melior, melivque smaragdis,
Crede mihi est voseis pulchra puella genis.
Quisquis is est ferus est primus qui veste decora

Digitized by Google

Lacteolum ornavit fœmineumque latus.
Cui natura negat preciosæ munera formæ,
Se tegat illa, satis nec tamen illa teget.
At tu quæ pulchra es, Phœboque nitentior ipso,
Esse palàm tua cur non patiere bona?
Sedulus intereà conjux, annosaque mater
Arte tua falli sentiat usque cave;
Linque domum tacitè ne somno excussus uterque
Adspiciat; Cautos nulla pericla manent.
Jam te jam videor cupidis retinere lacertis,
Et facere & dulces dicere blanditias.
O propera atque veni tunicis, mea Lygda, relictis
Suavior est sine te nulla reperta Venus.

Hic novus Ergatulus mensas sibi quærit opimas,
Et solet extento plurima ventre loqui.
At siquando epulis careat, jejunia passo
Dicendi subito est copia facta minor.
Quod cùm ita sit, poterit vel garrula lingua silere
Perpetuò, si nulla obvia fercula erunt.

Quæ venerem, optatique negas mihi gaudia lecti,
Longaque das avidis vota ferenda notis;
Hæc tibi contingant: urat te fervidus ardor,
Nullaque nutanti sit requies animo.
Cùmque viri cupies cara in cervice morari
Nocte in deserto sola cubes thalamo;
Aut (quod fortè magis conceptos augeat ignes)
Furtivus propter te advolitet Juvenis,

Digitized by Google

Ac fugiat veluti Alecto, visâque Megærâ,
Reddendis impar conjugis officiis.

Jactabat rumor celebrem Cossum esse Poetam,
Atque unà eximium Rhetorem & Historicum.
Hæc nos mirati, ceu falsa refellimus, atqui
Scribendi miserum jam cacoethes habet.
Nam meditans nova multa, typis concredere plura
Atque alia aggreditur corrigere & facere.
Pro queis rumor ait celebrem non esse Poetam
Ampliùs, eximium & Rhetorem & Historicum;
Sed Cossum, ut vendat sua tradere carmina prælo,
Præcipuè cùm sit pauper & esuriens.

Credideram subito Cleopatræ in amore ruentem
Saucia per longos pectora ferre dies.
Ast amor adveniens tuto mitissimus ore
Risit, & ô juvenis quò citò curris? ait.
Non hæc est Cleopatra, sed immanissimus anguis
Illius qui de funere vivit adhuc;
Quique, nisi advertas animo, te fascinet, atque
Congestas parvo tempore fugat opes.
Dixit & in tenues evanuit ocyor auras,
Meque suo tacitum terruit admonitu;
Ex illo siqua est mihi visa comoda puella
Hujus ego semper fui memor officii.

Lidia deformi & vetulo male juncta marito

Cum juvene & pulchro concubuit Notulo.
Qui similem quantum ipse sibi est habuisse sororem
Dicitur & vestem huic imposuisse viri,
Ut si detecta nefas deprehensus adulter,
Dicatur Notulo concubuisse soror.

Gaspar Apollinei vatis columenque decusque
Quem fovit senex Calliopæa sinu,
Da mihi quam colito citharam suspendis eburnam,
Da mihi quos sacro fundis ab ore modos;
Ut Zeni interitus & fata novissima flendo
Concelebrem mœstis munus in exequiis;
Nam vitam recti custos is puriter egit,
Sospite quo virtus nota pudorque fuit;
Aut humeris impone tuis (quod ferre libenter
Possis) atque ipsum hoc sustipe Gaspar onus.
Te duce non casura senis super astra vehetur,
Ibit & ad gelidos fama Borysthenidas.

Siqua mei sanctæ tangit vos cura sorores,
Tuque Helicon, vos & Pieridûm latices,
Hanc animam furiis incensam, hos pectoris æstus
Lænite & mentem reddite mi misero.
Quin totidem flammis, totidemque doloribus acta
Sit quot me immanis Fulvia sensit agi.

Ut primùm hos inter montes, atque abdita saxa
Quæ prius incanis albuerant nivibus

Digitized by Google

Rhetor ubi obtenta pietatis peſſimus arte,
Decerpitque, notatque rudis vice functus Aſelli:
Addit & hinc hominem eximium, ſimilemque Leoni
Noxia dicta retorquere, & mendacia nulli
Non feciſſe palàm & ſcholiam poſuiſſe libellis.
Nec ſatis eſt, ſequitur, narrans perplurima, amicus;
Audax nimirum pernicibus ocyor Euris
Græculus ad calamos confugit, ſeque tuetur;
Bella ciet, hoſtemque premit, ſed maximus hoſtis
Oppedit bello, jure & ſiluiſſe fatetur.
Talia mirabar tacitus diſcrimine nullo
Inter ſe pulchre veluti conjuncta coiſſe,
Cùm, Teleſine, animo ſedit ſententia, veras
Interdum præ ſe ſpecies inſomnia ferre
Nec ſemper pictura homines illudere inani.
Hinc alia ex aliis expendens, ut ſoleo, acri
Mente revolvebam, & ſcrutabar an eſſet habenda
Ætate hac nauci lamiarum ſorte poteſtas,
An cœli tractus, & inania ſcindere poſſent
Corporis humani nondum compage ſoluta.
Ajebam & mecum: Nonne edita dogmata, nonne
Charta diu vigilata, amplum & diffuſa per orbem,
Uſque hùc difficilem potis eſt elidere nodum?
Cordo, lixa aliter credat. Patet ipſa modo res
Per ſe, Carnifici quanquàm jugulata manu, det
Immeritò pœnas, populo ſpectante, Renata.

An numerem ipſe tuas, formoſa Lutetia, laudes,
Omnigenis ditata opibus, Divûmque favore
Aucta, bonas arteis ubi non coluiſſe pudori eſt

Et Sophiæ studia, & doctæ præcepta Minervæ?
Non ego sum tanti: Tuque omni es carmine major.
Nil arenim sacris Aganippidos invidet undis
Sequanâ quæ dulci mediam te adlabitur amne,
Et latice ex isto quicumque rigaverit ora
Astra petent, longum sua scripta perennat in ævum.
Quid quod non dubiis munitam legibus orbis
Suspicis, undè soles terrori somnibus esse,
Undè iterùm redit ad terras Astræa Virago,
Quæ sceleri pœnas, virtuti & præmia ponit.
Quid non est igitur sperandum, Urbs optima, de te,
Talibus auspiciis quæ cuncta regisve, faciſve?
Verius hæc possunt Saturnia sæcula dici,
Sæcula quæ Lodoix reddit meliora vetustis.
Ille etenim quanquàm stipatus milite multo
Et licet innumeras ditione coerceat urbes
Præferri bello tamen & studet impiger armis
Otia victrices sibi quæ peperêre phalanges.
Nec sileam cultusve tuos pompasve frequentes
Immensa aut quanto te includant mœnia gyro
Utque hùc advectus longinquis advena ab oris
Obstupeat passim tacitus plateasque viasque,
Sive tua ingressus viridaria talia juret
Alcinoi regis quondàm Hesperidumque fuisse.
O salve Europæ tellus pulcherrima ocelle,
Salve, nec tecum certet vel barbara Memphis
Vel Tempe, veteri etsi multùm claruit ævo.
Jam mihi jam moresque tui, tua jura, tuæque
Hærebunt cordi venturo in tempore gentes,
Quas mihi frons hilaris dulci sociavit amore.
Quantùm ego quod reliquum est vitæ consumere rurì

Hic vellem prata inviſens campoſque patente
Hic properante hyeme populoſæ redditus urbi
Adloquerer ſocios, & menſas inter opimas
Disjicerem annoſo curarum nubila Bacco.
At me fata aliò impellunt. Sua ſidera quenque
Volvunt, & rarò libertas ſpectat in omneis.

Fama refert te compoſitâ ſubſellia lite
Liquiſſe atque fori murmura rauciſoni,
Utpote qui legum nodoſa volumina tractans
Res has ancipiti noveris ire via
De quo ego nunc totâ grator tibi mente, tametſi
Friderice ah! vix ſim conſcius ipſe mei,
Impia quem necat ebriolis Amarillis ocellis,
Et jubet indigno colla dediſſe jugo.
O Amarylli! rigent duro tua pectora ferro,
Senſus & afflictis non tibi rebus adeſt.
Quænam Maſſylo peperit te in littore Tigris?
Quæve vorax Siculis expuit unda vadis?
Jam decus egregium formæ, nivea ora, manuſque
Laudavi, atque tibi cætera poſthabui.
Talia nec primùm ſpondebas, perfida, cùm te
Vidimus auratis enituiſſe comis.
Sed quid ab incæpto digreſſus carmine plura
Commemoro, & tecum triſtia fata queror?
Ad Muſas te redde iterùm, & placida otia nactas;
Rivule, Apollineis ora reſolve modis.
En vacat, en tandem clamoſa Palatia vitas
Qui magna Idâliæ cura vocaris heræ;
Et tua ſcripta placent Latio perfuſa lepore,

Digitized by Google

Undè magis vires ac magis auget amor.
Hinc tu seu vitreo quâ Brembus labitur amne,
Arcadio invisas rura habitata Deo,
Seu capreas jaculo figas, leporemve fugacem
Sive est abrupto colle sequendus aper,
Aut operam fandi studio navabis, & Urbi
Optabis tandem consuluisse tuæ;
Hùc ades, & mœrenti aliquod solamen amico,
Et certam in dubiis casibus affer opem.

Latratu vigili qui sæpe & dente minaci
Noctivagos fures arcuit à domibus,
Argas octavum & decimum cùm vixerit annum,
Proh facinus! rapuit lenta senecta canem.
Quid nisi flendum est? Is truculento includitur Orco,
Nec mihi sat videor tutam habitare domum.

Qualiter halanti niveus flos editus horto
Quem mites zephiri, solque tepens aluit,
Antè aras puroCultoris carptus ab ungue
Ponitur aut sacras emicat ante fores.
Haud secùs ætherii te absorptam vortice Amoris,
Cui comes it pietas virgineusque pudor,
Libat uterque parens superis, superûmque parenti,
Sideribusque affers, ô nova nupta, decus.

Digitized by Google

Astra sine invidia superi cælumque regant, mea
Leucippe toto diligis ex animo.

Emorior cùm te video, mea Lesbia, cùm te
Lesbia non video non minùs emorior.
Dic mihi quid faciam, quid agam hoc male sano in amore
Namque necesse est ut te aut videam, aut fugiam.

Olim fastus eram, magnique superbia Quinti
Qui se numinibus credidit esse parem.
Nescio quo pacto tandem nunc mentula fio,
Nec piget: intumeo cùm libuit pariter.

Eia age, Lygda, veni; Celadon te perditus ardet
Ignis & in medios itque reditque sinus.
Carpe viam: dilata minùs sunt gaudia cara,
Ocyor ut venias, obvia nuda veni;
Gratiùs & fuerit nobis. Ah! parce pudori.
In tuto es, si quod numina magna, facis.
Nec secus à Paride umbrosis in vallibus Idæ
Visa fuit Paphii candida Diva soli.
Nudus & est semper qui spicula torquet acuta
Sævus & in nostro corde superbit amor.
Quis furor est Cois obducere vestibus artûs,
Membraque Bissoneæ candidiora nive?
Torquibus auratis melior, meliorque smaragdis,
Crede mihi est vobis pulchra puella genis.
Quisquis is est ferus est primus qui veste decora

Digitized by Google

Lacteolum ornavit fœmineumque latus.
Cui natura negat preciosæ munera formæ,
Se tegat illa, satis nec tamen illa teget.
At tu quæ pulchra es, Phœboque nitentior ipso,
Esse palam tua cur non patiere bona?
Sedulus intereà conjux, annosaque mater
Arte tua falli sentiat usque cave;
Linque domum tacitè ne somno excussus uterque
Adspiciat: Cautos nulla pericla manent.
Jam te jam videor cupidis retinere lacertis,
Et facere & dulces dicere blanditias.
O propera atque veni tunicis, mea Lygda, relictis
Suavior est sine te nulla reperta Venus.

Hic novus Ergatulus mensas sibi quærit opimas,
Et solet extento plurima ventre loqui.
At siquando epulis careat, jejunia passo
Dicendi subito est copia facta minor.
Quod cùm ita sit, poterit vel garrula lingua silere
Perpetuò, si nulla obvia fercula erunt.

Quæ venerem, optatique negas mihi gaudia lecti,
Longaque das avidis vota ferenda notis;
Hæc tibi contingant: urat te fervidus ardor,
Nullaque nutanti sit requies animo.
Cùmque viri cupios cara in cervice morari
Nocte in deserto sola cubes thalamo;
Aut (quod fortè magis conceptos augeat ignes)
Furtivus propter te advolitet Juvenis,

Digitized by Google

Ac fugiat veluti Alecto, visâque Megærâ,
Reddendis impar conjugis officiis.

Jebat rumor celebrem Cossum esse Poetam,
Atque unà eximium Rhetorem & Historicum.
Hæc nos mirati, ceu falsa refellimus, atqui
Scribendi miserum jam cacoethes habet.
Nam meditans nova multa, typis concredere plura
Atque alia aggreditur corrigere & fasere.
Pro queis rumor ait celebrem non esse Poetam
Ampliùs, eximium & Rhetorem & Historicum;
Sed Cossum, ut vendat sua tradere carmina prælo,
Præcipuè cùm sit pauper & esuriens.

Credideram subitò Cleopatræ in amore ruentem
Saucia per longos pectora ferre dies.
Ast amor adveniens tuto mitissimus ore
Risit, & ô juvenis quò citò curris? ait.
Non hæc est Cleopatra, sed immanissimus anguis
Illius qui de funere vivit adhuc;
Quique, nisi advertas animo, te fascinet, atque
Congestas parvo tempore fugat opes.
Dixit & in tenues evanuit ocyor auras,
Meque suo tacitum terruit admonitu;
Ex illo siqua est mihi visa comoda puella
Hujus ego semper sum memor officii.

Lidia deformi & vendo male juncta marito

Cum juvene & pulchro concubuit Notulo.
Qui similem quantum ipse sibi est habuisse sororem
Dicitur & vestem huic imposuisse viri,
Ut si detecta resti deprehensus adulter,
Dicatur Notuli concubuisse soror.

Gaspar Apollinei cœtus columenque decusque
Quem fovit tenero Calliopæa sinu,
Da mihi quam collo citharam suspendis eburnam,
Da mihi quos sacro fundis ab ore modos;
Ut Zeni interitus & fata novissima flendo
Concelebrem mæstis munus in exequiis;
Nam vitam recti custos is puriter egit,
Sospite quo virtus nota pudorque fuit;
Aut humeris impone tuis (quod ferre libenter
Possis) atque ipsum hoc suscipe Gaspar onus.
Te duce non casura senis super astra vehetur,
Ibit & ad gelidos fama Borysthenidas.

Siqua mei sanctæ tangit vos cura sorores,
Tuque Helicon, vos & Pieridûm latices,
Hanc animam furiis incensam, hos pectoris æstus
Lænite & mentem reddite mi misero.
Quin totidem flammis, totidemque doloribus acta
Sit quot me immanis Fulvia sensit agi.

Ut primùm hos inter montes, atque abdita saxa
Quæ prius incanis albuerant nivibus

Nunc induta novo florum decorantur amictu,
Et pictos humeros & latera ampla gerunt;
Insonuit, Leonarde, tuæ vox nuncia tædæ
Et magnæ emicuit gloria prima domûs,
Quisque atavos, proavosque illustri è stipite ductos,
Regina unde maris claruit Hadriaci,
Quisque animo pura evolvens, felicia, dixit,
Vincula cælesti vincula nexa manu!
Quam rectè instituent exempla vetusta Nepotes,
Atque beatorum grandia facta senûm!
Hi figent proprio viridantes poste corollas,
Et debellatis hostibus exuvias.
Audiet hos sanctus fundentes verba Senatus
Verba & Cecropio dulcia melle magis.
Ipsi etiam hircipedes (sylvestria numina) Fauni
Quos bruma in cæcas compulerat latebras;
Cùm læti ad solitos venissent nunc quoque lusus
Rustica præcincti tempora fronde novâ;
Ætherio æquarunt latè tua nomina Olympo,
Agricolæque omnes huc coiere Dii.
Tùm Nymphas inter faciles, pulchrasque Napæas
Ad numerum celeres composuêre pedes.
Roscida dulcisono resonant hinc arva tumultu,
Vallesque, umbriferis & nemora ilicibus.
Tantum hìc antiquum genus & potuere tuorûm
Adlata in nostris fama decusque jugis.

Magne Heros clypeo metuende hastâque feroci,
Suete vel indomito subdere calcar equo,
Non te confodiunt enses inimicaque tela,

Dùm Mars adverſo turbine caſtra movet.
Sed gliſcente levi morbo, & florentibus annis
Concidis heu! molli conſitus in thalamo.
Idque magis regi Gallorùm forte dolendum eſt
Quod tu non mediis hoſtibus intereas.
Haud ingrata tuo ſed Gallia funere lugens
Erigit inſculptis hæc monumenta notis:
Hic jacet ille meus populos qui vicit & urbes
Dux quo ſublato mors mihi quanta rapis!

Sparge merum atque roſas tumulo, quò conditur Anthus,
Forte Anthum noſti, dà tumulo & lacrymas;
Aut quod non noris lacrymas effunde, viator,
Nam bonus & ſapiens, & pius Anthus erat.

Nymphæ quæ colimus Tarviſi dulcia rura,
Et quas piſcoſo flumine Silis habet,
Te id volumus nil tale timentem ſcire, Carine,
Etſi nos aliquid dicere turpe pudet.
Arria de cunctis laſcivior una puellis,
Commaculat ſancti jura verenda thori,
Umbrarûmque petit ſedes, atque avia luſtra
Ne pateant oculis plurima furta tuis.
Quòque tuos magis obtutus vitare coacta eſt
Hoc magis eſt noſtris facta propinqua locis.
Hinc cùm multa malæ uxoris ſint probra videnda,
Pura verecundus occupat ora rubor.
Quod tu ſi tantum ſubito hinc non dedecus auferes,
Nec prohibes mœchos caſta per arva ſequi;

Digitized by Google

Furcillis nos his & funibus ejiciemus
Lampsacio ut fiat gratia rapina Deo.

Quanquam nec veluti Odrysio jam contigit Orpheo
Miteſcat numeris bellua torva meis,
Nec poſſim rapidos fluviorum ſiſtere curſus,
Saxaque Riphæis ducere verticibus,
Hic ubi mollis Hymen luteo velatus amictu
Excutit aureolas luce oriente faces,
Atque Amor & Charites plenis dant lilia palmis,
Ipſe canam ſumptâ pauca tamen citharâ.
Nam pia Panchæo redolent altaria thure,
Puniceoque nitet tincta colore genas;
Quam modo felici junget ſibi numine amator,
Hadriaci Virgo gloria quanta ſali!
Et jam jam purus candenti in veſte Sacerdos,
Atque adſtant hilares Nereidum choreæ,
Qui & caput algoſo Nereus pater extulit antro,
Et riſus comites, innocuique joci.
Ipſa autem inceſſu talis patet inclyta Nupta
Cyntia ſydereo qualis in axe micat,
Scilicet aurato diſtincta eſt ordine palla,
Et gemma compti verſicolore ſinus.
Labuntur fuſi per lactea colla capilli,
Vincit & aſtrorum lumen utrunque jubar.
Atque ex præſtanti ſuffuſa eſt gratia formæ,
Ut queat & magno bella movere Jovi.
Parte alia juvenis Muſarum qui altus in ulnis
Hippocrenæo perluit ora vado,
Jam ſtudia oblitus ſibi cara, novemque Sorores

Digitized by Google

Insaluit Dominæ cantus amore suæ,
Et tardas dolet ire dies, adhibetque frequentes
Conjugii ut subeat vincula grata, preces.
At vota hæc blandâ Divûm pater excipit aure,
A lævâque ciet terque quaterque tonat.
Nubilus ex illâ fit parte serenior aer,
Et verba auditâ talia voce refert.
» *Euge, nam soboles connubia clara sequetur,*
» *Quæ sit gentis honos Mæonidûmque decus.*

BARSOTII LUCENCIS
AD IOS. FARSETTIUM
P. V.

Ut celebrem Ermolaum splendentem murice & auro
Sæpè rogas, Joseph, & me invitum edere cogis
Carmina. Debeo cui multum tenuare versus
Paucos? Non ego: sed thusca tenuare plectro.
Hoc mi unum ignoscès. Etrusci hoc tempore vates
Quippe tot exsurgunt, Pindi ut decerpere laurum
Ille etiam audeat, & forsan sibi plaudat, amictum
Cui lacerum tundit veniens ex æthere multa
Unda, vel invisò quem bajulus urget euntem
Pondere; sed qui vel potu, choreisve recentes
Ostentant aurum digitis, album & caliendrum
Unguentisque gravem, non his Polyhymnia certet.
Si horum ut mos est Petrarchæ, Bembique labore
Vellem ego præclaram Ermolai dicere laudem,
Veram Ermolai laudem tenuare videres,
Et fastidiis implere volumina furtis.

Digitized by Google

Quòd ſi ſimplicibus Latii celebrabitur Heros
Carminibus, tunc nec rebus fucum faciam, nec
Formidem piper, aut ſchombros, te judice, vel thus,
Joſeph, cui Latius naſcenti arriſit Apollo,
Tarpejæque Deæ Latia exemplaria præbent
Nocturnâ verſanda manu verſanda diurnâ.
Undè abii redeo, Ermolai & dicere laudes
Nunc tandem adgredior nudo, privoque nitore.
Non quia nobilitas auctum ſplendore parem illum
Reddit avis, atavique, ideò cui rubra Senatus
Muneta det veſtis de multis eligit unum,
Nam qualis centum oſtentat complexa Nepotes
Semideoſque Deoſque omnes Berecynthia Mater
Sic læta innumeros Heroas Hadria jactat,
Claros Heroas ſtirpis decora alta vetuſtæ.
At quod præ reliquis populus veneratur, amatque
Quem ſemper vidit patriæ utilitatis amantem,
Quod proceres omnes regali munere donant,
Quem ſequitur probitaſque, fideſque, & candida virtus,
Brixia quod vidit, Veronaque, Palmaque ſenſit
Moribus & ſtudiis inſtructum pectus honeſtis
Jura dare, & miſeris placido modo parcere vultu,
Nunc premere imperio ſontes, atque omnium amorem
Attamen & plauſum, & præconia vera mereri.
Hæc Venetæ, Joſeph, ſunt artes, quorum ope honores
Purpureæ meruit trabeæ, attonitique popelli
Nunc captat plauſus ardens in murice & auro
Qui ſemper ſtudia & mores animumque virilem
Exhibuit populis aptum, rebuſque gerendis
Barbarus Hadriaci decus immortale Senatus.

FINIS.

Digitized by Google

JO. BAPT. CARMINATI

VENETI PATRICII

PROTEUS

Digitized by Google

T

Digitized by Google

Te decus Ausoniæ, patriæ decus, atque voluptas,
Atque amor & Veneti cura ingens EME Senatus,
Te canit Hadriaco vates nans æquore Proteus
Dum te Nereides Euxini e litore ovantes
Gratantur reducem, Tyrio dum splendidus ostro
Et Patrûm, & vulgi studiis, plausuque frequenti
Exciperis, resonatque cavum tua nomina litus.
Nec te litoreæ, quamvis fors rustica, quamvis,
Magne heros, longe illa tuis sit laudibus impar,
Pæniteat Musæ. Phœbus tua scilicet olim,
Quâ patet, & gemino Siculis terra Itala ab undis
Circùm lota mari gelidas procurrit in Alpes,
Maxima facta canet, meritisque æquabit honores.
Interea facilis dexterque his annue cœptis,
Atque cani Divûm jam nunc assuesce Camænis.
Vix e conspectu Illyrii quâ murmurat ingens
Multiplici invergens pelago undas amne Timavus;
Vela dabat, patriasque oras, portûsque petebat
Quem toties, tantisque optaverat anxia votis
Hadria maternis reducem complectier ulnis,
Cùm subito insuetumque animum, & nova gaudia mente
Concipiens Triton, cui cura in tecta parentis
Neptuni, undisonos quæ temperat undique fluctus,
Æquoream ponto dispersam arcessere gentem
Litoribus, scopulisque cavis, imoque profundo,
Injussus Nymphasque omnes, Divosque, Deasque
Evocat, & totum conchâ ultro personat æquor.
Conveniunt quicumque algis, quicumque reposto

Nympha, Deuſque latent ſub gurgite, quique frementi
Exeſas fluctu cautes, qui litora pictis
Sparſa colunt conchis, mediáque teguntur arenâ,
Et ſpumantem undam in ſcopulos Aquilonibus actam
Et fluviorûm oras, & amantia Numina portus.
Nereidum hinc choreas & Doris ducit, & Ino,
Et Panope, & Galatea, albâ omnes tempora vittâ
Præcinctæ, niveis omnes in veſtibus, omnes
Per colla auratos effuſæ candida crines,
Marmora nudatis findentes ſumma papillis:
Hinc virides muſco, atque algâ, nexiſque revincti
Purpureis, variiſque in ſerta nitentia conchis
Portunus, Glaucuſque ſenex, Phorcuſque capillos
Agmina Divorûm præcunt, bifidiſque ſecantes
Cæruleos caudis tractus latè æquora miſcent.
Irrequieta mari interea vada fervere ab imo
Neptunus fundo, & Divûm increbreſcere ſentit
Murmura, muſcoſumque caput ſummâ exſerit undâ:
Tùm ſtudiis lætus natorûm quo maris iras,
Quo vultu nimboſque, Notumque, Eurumque ſerenat,
Annuit, atque ſuos jam creſcere ſentit honores.
At gregis æquorei cuſtos, ſub gurgite phocas,
Et Nereo bipedes qui muſco in littore, & alga
Paſcit equos, paſtos virgâ ad ſtabula alta reducit,
Ut tùm forte pecus numerans ſuper æquora piſtri
Vectus erat, ſonitum miratus, & alta revolvens,
Carpathio audierat quæ plurima gurgite quondam,
Oceanique patris, Thetidiſque oracula mente,
Qua inſueta auricomæ denſantur in agmina Nymphæ
Præceps flectit iter, turpeſque impunè vagari
Quâ libet, attonito ſimilis ſinit immemor orcas.

Digitized by Google

Jamque choris immixtus erat, veneratáque vatem
Circumfusa senem, latè gens humida amarum
Dispergens manibus rorem Diis digna canebat
Carmina ponè sequens: cum cominùs æquore puppim
Invectam placido, lentè impellentibus Austris,
Adventare videt, jamque æstro percitus, & jam
Qui Deus agnosci posset, non vincula passus,
Non vim, fatidicis sic vocibus ora resolvit:
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Tuque ô! cui Nymphæ, pelagi cui Numina pompam
Instaurant, placidæ cui spirant leniùs auræ,
Cui mare subsidit, patriæque, ævique, tuæque
Gentis honos, gentis decus, & laus maxima tantæ,
EME, maris dilecte Diis, carissime cælo,
Te licet Euxino reducem fastidia longæ
Tanta viæ, undiflui teneant & tædia ponti,
Finde lubens, tutâ lætus finde æquora puppi,
Non tibi compositi ingenium, aut pellacia ponti,
Nec metuenda fides: cælo hæc demissa sereno est
Undis firmæ quies, quam nec turbare recludens
Ventisque & nimbis rex Æolus antra, nec æquor
Percutiens, scopulosque queat pater ipse tridenti.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Hæc pelago facies, ventis hæc otia tunc quum
Summus Agenoreis decedens Jupiter oris
Adnaret patriæ tauri sub imagine Cretæ,
Atque suos secum per cærula ferret amores.
Quum te formosam, & dignam Jove, Sidoni, cum te
Ardua nutanti prensantem cornua dextra,
Inque sinum legere undantem adflantibus auris

Digitized by Google

Sollicitam lævâ tunicam, te, Sidoni, Amorum
Turba frequens circum advolitans, dulcesque hymenæas
Et nova furta canens manibus per mutua junctis
Tingueret interdum summas placido æquore plantas.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Accipe quæ te digna ferant, tibi munera Nymphæ,
Crystallum scopuli, & conchas litore & imis
Tritonûm manibus divulsa corallia saxis,
Atque diù toto quæsita electra profundo.
Ipse ego quæ calathis damus hæc tibi lilia plenis
Has mixtas lauro myrtos, violasque hyacintho,
Dùm vicina gregem observans per litora nuper,
Litora culta vagor, Thetidi donanda legebam.
Quin etiam procul, & longè externo æquore vectus
His pastus mea cura algis, his crevit in undis
Quo futuro fucata nitet tibi murice vestis.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
Quæ tibi Nereides, tibi quæ Thetis ipsa, Venusque,
Orta Venus pelago, Hadriaci Venus incola ponti
Dona ferent, canos tunc quum tibi regia crines
Vitta, marique satæ præcingent tempora gemmæ!
Quo tunc, EME, tuas extolli ad sidera laudes
Carmine, quo late ferri tua nomina plausu
Auribus accipies, totumque sonare per æquor!
Namque canam, primis tenera ut sub pectore ab annis
Foveris ingenium patriæque, & laudis amorem;
Ut tibi primus amor ludi labor improbus, ut te
Doctrinâ ingenium mixta, bonisque colentem
Artibus, eloquioque animum tanta indole nixum
Diva suas tecum facundia creſcere vires
Senſerit, inque tuo ſedem ſibi legerit ore.

Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Hinc magnæ orantem proceres, sanctique Senatus
Obstupuere Patres, seu publica commoda dictis
Ornares, vasti rerum sub mole laberas,
Seu responsa dares, Patriæ dum prospicis amni,
Hinc Patria robusque arctis, & tempore iniquo
Exhaustis defessa opibus, fractisque timore
Pæne animis res firma tuis stetit omnia vincens
Publicæ consiliis, vimque, & bella, impia bella
Pertulit, & placidâ fruitur nunc tuta quiete.
Ponite raucisoni maris æquora, ponite venti.
Non ego te gelidas fileam trans ultima missum
Irala regna Alpes patriæ mandata ferentem
Dives ubi, belloque potens, excultaque sanctis
Artibus, in latas pandit se Gallia terras,
Alta triumphali quum Sequana cornua lauro
Præcinctus, cubito auratæ dum nititur urnæ
Te jungentem animos, dextrasque, & firmius arctæ
Vincula amicitiæ nectentem antiqua videret;
Quumque novâ captus dulcedine corda, loquentem
Dum stupet, ingenium miratur, & aurea dicta,
Hadriacas cuperet sua flecti flumina ad undas.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Quid memorem patriæ linquentem dulcia rursus
Tecta domus, dulcesque iterùm cum conjuge natos,
Sepositoque diù Byzanti in littore mentes
Flectentem adversus, iraſque, & barbara largo
Pectora dulciloquæ mulcentem flumina linguæ?
In corda insuetum tùm denique Thracia primùm
Irrepsisse ferunt recti & virtutis amorem.
Nam te jam nimium absentem, patriisque vocatum

Legibus huic te olim cupientem reddere nato
Ægrè passa suis tandem decedere terris
Te gens illa ferox votisque & mente secuta est,
Atque tui studium memori sub pectore servat.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
I decus ô Patriæ quò te exaudita tuorum
Vota vocant: tibi tecta hilares, tibi compita linguunt
Matres, atque viri, ſenibuſque immixta juventus
Litoribuſque omnis, portuque, effuſaque cymbis
Urbs deſiderio reducis, ſtudioque videndi
Geſtit, & alta tuis latè æquora laudibus implet:
Nec jam lenta domum, poſteſve aut limina ſervat,
Obviaque occurrens extremo in litore conjux
Jam vicina tuis digito tua lintea natis
Indicat; ipſa hærens oculiſque, & pectore puppim
Proſequitur, tardamque vocat, ſibi gaudia lentè,
Dimidiumque animæ, lentè ſua vota ferentem.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
Ah quoties dùm te illa gemens te deperit unum,
Te vocat abſentem viduo deſerta cubili
Sola diù, & miſerum natis ſolatur amorem,
Natiſque amplexùs, natis cara oſcula jungit;
Æquora tot luſtranda tibi, tibi mente revolvens
Tot maris atque viæ ſubeunda pericula, amorem
Ipſa ſuum incuſans, ne te committere ventis
Ac pelago auderes, neve ad tua tecta redires,
Et caro æternum optavit caruiſſe marito
Jam metuens Patriæ, metuens tibi multa, ſibique.
Dii bene, quod faciles implent tua lintea venti;
Jam reducem videt illa, tuo jam brachia collo
Implicat, optatoque explet jam lumina vultu,

Digitized by Google

Lumina vestra primùm largo non humida fletu.
Ponite rauciſoni maris æquora, ponite venti.
I decus & Patriæ, tanto quo parta labore
Te tua dona manent, patrioſque reviſe Penates.
Ad tua te populus, te cives tecta reducent
Purpurea inſignem trabea; longo ordine Patres
Adjungent tibi ſe comites, oculoſque animumque
In te unum ferri ſanctorum atque ora videbis.
Intereà ſive ipſe domum, ſeu templa, viaſque,
Compitaque aulæis, auroque ornata pererres,
Quò te cumque pedes ducent, te pompa, decuſque,
Te laus, te plauſus, tua te benefacta ſequentur.
Plaudite io choreas, nova carmina plaudite Nymphæ.
At nati tua cura tui, ſerique nepotes
Te proavo illuſtres, & ſanguine cetera avito
Felix orta Patrum, Patriæ ſpes magna juventus
Dùm te tot meritis clarum, tot honoribus auctum
Aſpicient, noſtriſque legent tua nomina faſtis,
Jam tibi certantes, tuaque hæc exempla ſecuti
Jam ſanctas coluiſſe artes, jam ferre labores,
Et veneranda ſequi diſcent præcepta Suadæ.
Scilicet ut Venetùm fama inclyta, te duce, priſcis
Te cumulante novos Patriæ, & tibi laudis honores,
Europam, atque Aſiam, & totum diffuſa per orbem
Antiquos rediiſſe annis volventibus annos
Gaudeat, atque armis & pace, foriſque domique
Floreat, æternumque diù ſplendeſcat in ævum

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 1. *RHænuſque*, lege, *Rhenuſque.*
4. *Parnaſi gnatus*, lege, *Parnaſſi gnatus.*
7. *Unanimes parce*, lege, *Unanimes Parcæ.*
7. *Phillida*, lege, *Phyllida.*
9. *Precantis*, lege, *precantis.*
11. *Divitas*, lege, *divitias.*
12. *Eliſios*, lege, *Elyſios.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06369 1409
Google

Digitized by Google